dolores ferant in vigilijs. Sic etiam vires, ut iam dictum
est, ad alios quoscunque duros, arduos, ac asperos susti-
nendum labores per somnum potissimè corroborantur. Quod
ipse quoque omnium creator, omnium salvator, servator
omnium Christus Dominus, lucidissimum exemplar virtutum,
certissimum veritatis iter, rectissima, bene ac honestè
vivendi norma proprio suo exemplo edocere, atque
ostendere voluit. Ubi enim omne diei spatium numero-
sa plebis frequentia Verbum divinum prædicasset, omnesque
corporis sui vires clamando exhausisset, atque enervasset,
non cibo, non potu, non cantu, non instrumenti cujuslibet
modulamine, non quovis alio recreandi modulo, sed
somno, somno inquam, et ipsissimo somno in discipulorum
navigio sopitum vires refocillavit, atque restauravit.
Possem hoc loco evagari latius, et id quod dico tum
repetitis è memoria veteri, tum vivis aspirantibus
confirmare exemplis, nisi me temporis ratio brevem
esse moneret. Itaque ne longior sim, vobisque forsan molestior
Auditores benevolentissimi, multa satis, ut opinor superque

dicta